

Anselme Pr. Ad ... Angelum Durini.. cormen.

XVIII.3.77



AD EXCELLENTISSIMUM  
*D.D. ANGELUM DURINI,*  
ARCHIEPISCOPUM ANCYRANUM,  
PRÆSIDEM ET PROLEGATUM AVENIONENSEM,  
*C A R M E N.*

AUDIERAM, DURINE, tibi de Vertice Sacro  
Dulcisonam misisse Lyram pro munere Phœbum.  
Quâ Divos, Divasque canens, tam dulciter aures  
CÆSARIS AUGUSTI mulcebat Horatius olim.

AUDIERAM, nec more suo me Fama fefellit:  
Cum mihi GUALTERIUS, quo non urbanior alter,  
Dilectus Musis, veteri tibi junctus amore  
Præbuit ut saltèm legerem tua carmina raptim.  
Mirum! quo studio, quantâque cupidine pressus,  
Attentis animis, suspensis auribus hausi:  
Quàm mihi tunc placuit leni tua Musa susurro  
Tot varios modulata sonos, ut Numine plenum  
Omnigenum Vatem meritò te dicere possim.

ECQUIS enim facilè memoret? Quàm! divite venâ,  
Sponte suâ numeros se se componat ad omnes,  
Seu pedibus cantare velis heroïca senis,  
Imparibusve Elegos placeat deducere versus,  
Lesboos, Lyricos nunquàm mage Horatius alter  
Quam cùm Calliopen rogitas descendere Cœlo,  
Vertice sublimi feriens tunc sidera Vates.

MIRABAR! medioque bibens de fonte leporum  
Latabar, Latium retrò mihi visus in ævum  
Raptus ego, dùm me sensim meminisse juvabat  
Quod mihi consortes studiorum nobilis inter,  
Ingenio pollens omnes ad Apollinis artes,  
De te sæpè loquens CALVETUS dixerat olim.  
Nempè quod & juvenis, vel adhuc pubentibus annis,  
Ardenti, summo Musarum captus amore  
Illas spontè sequens ibas quocùmque vocabant.

NOVIT Lugdunum, novit Lutetia magna,  
Claraque nobilibus natalibus Insubra tellus,  
Quantùm clarueris non uno carmine notus.

SED quid ego moror his? Cùm sim ad majora vocatus.  
Narrat ROMA tuos peperit quos Musa triumphos,  
ROMA caput mundi, studiorum nobilis altrix,

Cùm fremitu plausuque virùm , Nemus omne sonabat  
PARRHASIUM , viridique novus sub gramine Pastor  
Pastores inter magnos numerandus Ovabas.  
Nomine donatus claro , doctâque cicutâ.

O Vos , ô Solymæ , Genus alto à Sanguine natum  
Illustres Equites ? junxit quos foedere sacro  
Relligionis Amor , Fidei vos Invoco testes ,  
Quâ MELITÆ dùm vester erat , præconia , nomen ,  
Hymnifer edocuit Templum resonare MARIÆ.

NEC vos transferim clarâ de Gente Poloni  
MAGNIFICI COMITES , quorum heù ! Nimis excita bello  
Nunc Patria est , Patriâ pro libertate tuendâ.  
Vos majore quibus licuit spectare Theatro ,  
PONTIFICIS Summi Legatum munere summo.  
Cùm modò vestra tuens , rebus modò debita sacris ,  
Conciliare animos , vestros sine fine dolores  
Tentabat mollire sui dulcedine cantûs :  
Nunc calamos inflando leves , Nemora alta , recessus ,  
Pascua , Rura canens , totidem Pastoria Regna.  
Ibat dùm lentis jam Vistula tardior undis.  
Gentis sive decus memorans , grandi ore sonabat  
Vestros Heroas , fortissima Pectora bello ,

Ingentes animas Patrio tam nomine dignas.  
Et modò concelebrans lætos , clarosque hymenæos ,  
Unde tibi surgent , O! MAGNA POLONIA Reges.

HÆC tibi scribebam , Clarissime & Optime PRÆSES,  
Vix tibi notus ego , minimis ex Vatibus unus :  
At tibi devinctus , timido sub pectore versans  
Qualiacùmque meæ tibi ferrem munera Musæ.  
Tempore quo nostras reparans res tempore lapsas ,  
Omnibus intentus , tractabilis , æquus in omnes ,  
Integer atque bonus , componens jurgia , lites ,  
AVENIONE Patris dulci sub nomine regnas ;  
Purpureosque PIUS nobis datus omine fausto :  
Orbis amor , celebrique tuo tam Carmine dignus ,  
Jam dudùm emeritos tibi nunc meditatur honores.

*Offert humillimus & obsequentissimus servus ,*  
FRANCISCUS ANSELME , *Insignis*  
*Ecclesie Sancti Petri Aven. Decanus.*



XVIII-3-77